



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quòd Christi mors meruit omnibus credentibus capitale bonum:
sanctorum autem martyrium, accidentale in coelo secundùm gradus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Christi: per illum complacuit Patri, reconciliari & pacificari omnia, id est, per sanguinem & crucem eius, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terris, Colof. 1. Ergo omnis qui credit in illum, saluabitur Ioannis tertio.

3:

1. Cor. 2.

Capitale bonum, scilicet remissionem peccatorum & cælum, meruit omnibus solus Christus, vt dictum est: & hoc fide accipitur ante omne opus vel quodcunque martyrium, scilicet in Baptismo. Nam hæc fides comunicat nobis Christi bona: At inquis: Nunquid sunt frustra tot crudelia supplicia passi martyres? nihil illis meruerunt? absit. Meruerunt enim ingentia præmia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Esa. 64. Nam Apostolus ait 1. Corint. 3. Vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem, id est, secundum gradus sui laboris & supplicij. Sed hoc præmium dicitur accidentale, seu additamentum ultra essentialia & capitale bonum, quod iam fide acceperunt sancti ante martyrium. Illi enim qui multa & diuersa passi sunt pro fide Christi, magna habebunt præmia Mat. 5. Merces vestra copiosa est in cælo. Promittit quoque illis Christus regnum cœlorum, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, id est, ipse promittit gratuita sua voluntate: non quod ipsum martyrium hoc mereatur, sed ipse Deus propter Christum vult ita compensare ingentibus præmijs in cælo martyrium & confessionem fidei, & cum ipso cælo, quod solus ipse meruit. Non ergo frustra passi sunt sancti martyres, nec erunt illis sua supplicia sine præmio. Sicut enim differt stella à stella in claritate & magnitudine, vt Apostolus ait 1. Cor. 15. Sic erit in resurrectione mortuorum. Multæ enim in cælo sunt mansiones, Ioan. 14. & unicuique reddetur secundum gradus laborum suorum, Matt. 16. Sic duplici præmio coronat Deus fidelium opera, & maximè persecutiones & supplicia, quoad accidentale præmium: ergo in cælo erunt gloriosi S. Apostoli

Apostoli & martyres, &c. Sed inquis: Sufficit mihi capitale præmium per solam fidem acquirendum, non curo accidentale: si tantum habeo cælum, præmia in cælo non curo. Respondeo, quod existens sine peccato & credens in Christum, is apprehendit capitale bonum: deinde, qui iam iustificatus, facit etiam bona opera & patitur crudelia martyria, persecutiones, exilia: ille ultra capitale bonum & promissionem, accipit etiam accidentale bonum, coronam iustitiæ, &c. adde quod capitale bonum, id est, cælum, non retinetur si quis secundum carnem ambulat; Roma. 8. Unde necessario sequi debet obediëntia legis in omnibus fidelibus: quod si quis vocatur ad martyrium, id singulare donum est, ac suam habebit coronam &c.

Insuper meritum & donum sic intelliguntur, quia solus Christus meruit cælum, remissionem peccatorum, gratiam Patris: quæ nos mereri non potuimus, sed gratis accepimus per fidem in Christum: attamen opera iustificatorum, merentur dona in hac & post hæc vitâ. Dona ergo varia ex gratia confert Deus pro operibus nostris in cælo & hic in terris. Meritum autem salutis, transfertur in solum Christum. Si ergo est aliquis, qui sentit se sine peccato esse, & nouit se veram & viuam habere fidem, is dicere potest: sufficit mihi essenziale bonum: sed ubi talis reperitur? Ergo nullus hoc dicere poterit. Nam non solum Fides, sed etiam charitas exigitur. Fides essenziale præmium, charitas accidentale apprehendit: sed Fides & charitas nolunt separari & distingui. Porro martyres dicuntur, quos tyranni capitis supplicio affecerunt propter fidem in Christum: Confessores autem sunt, quos hæretici multipliciter vexarunt, ac doctrinæ ipsorum contradixerunt, qua erudiebant Ecclesiam vniuersam, & ordinabant cultum Dei in orationibus & canticis suis.